



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Usu & Abusu Doctrinæ Divi Thomæ Pro Xaveriana
Academia Collegii Sanctaefidensis in Novo Regno
Granatensi, &c**

Martinez de Ripalda, Juan

Leodii, 1704

Lectio II. Verior sententia proponitur, & probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84322)

Impertinens
et
Ripalda

principium receptivum formarum substantialium : Hæc verò non fuit ab æterno , nec tales naturæ fuerunt materia prima , nec Deus eâ indiguit ; cum ex nihilo omnia condiderit : Vel est potentia , aut materia secunda materialis , quæ solet dici compositum materiale existens , quod etiam non fuit ab æterno : Vel alia potentia passiva aliorum accidentium ; quæ etiam non fuit propter easdem rationes. Ergo nulla fuit potentia realis passiva , quâ quidditates rerum denominarentur actu possibiles , & quæ corresponderet potentiæ activæ Dei ab æterno ; cum omnis potentia realis passiva , si detur , correspondere debeat activæ.

370. Ulterius de naturâ Angeli , & hominis ab æterno solum prædicatur quidditative id , quod explicatur per suam definitionem. Sed nullius rei essentia definitur per hoc , quod sit possibilis esse formaliter , ut patebit per cujusvis rei definitionem. Ergo res non dicuntur actu possibiles per sua prædicata essentialia ; sed solum extrinsecè per actualem , & realem potentiam Dei potentis dare illis esse in propriâ naturâ. Major patet. Minor probatur. Tum quia verior sententia docet , Angelum , & hominem potuisse esse ab æterno ; in quo casu natura Angeli , & hominis eandem haberent essentiam ; & tamen non essent possibiles esse , ut extitissent ab æterno ; sed de facto habuissent esse. Ergo denominatio purè possibilis (de quâ loquimur) & prout excludit existentiam , non est formaliter de essentiâ naturæ Angeli , nec hominis.

371. Dices. Essentiæ rerum ab æterno ex se non repugnant esse. Sed idem est formaliter non repugnantia ad essendum , ac denominatio possibilis. Ergo creaturæ ex se intrinsecè actu denominantur possibiles. Concessâ majori , nego minorem. Ratio est. Quia non repugnantia ad essendum est quid negativum , quod quasi consequitur ad quidditatem , seu essentiam Angeli ; sicut enim ad essentiam Angeli consequitur , quod quidditative non sit essentia hominis , sic consequitur , quod non sit repugnans existere , vel quod non sit chymæra : Hoc autem negativum explicatur per hoc , quod sit non repugnans. Unde ad naturam Angeli negatio repugnantia chymæricæ. At verò denominatio possibilis non est quid negativum ; sed solum positivum proveniens formaliter à formâ positivâ ; scilicet à potentiâ reali actuali , per quam Deus denominatur actualiter intrinsecè potens , & res denominatur extrinsecè possibilis ; sicut per eandem visionem dicitur potentia intrinsecè videns , & objectum extrinsecè vi-

Nō ex eo , quod essentia rerū ex se non repugnet ab æterno nō denominantur intrinsecè actu possibiles.

sum. Quare sicut non est idem : Deus est potens intrinsecè producere , ac non repugnat Deo potentia ad producendum : Quia primum est denominatio formalis positiva ; secundum verò est denominatio negativa ; sic non est idem : Natura Angeli est possibilis esse , ac natura Angeli est non repugnans esse : Quia per primum importatur formaliter omnipotentia Dei , à quâ est extrinsecè possibilis natura Angeli ; & per secundum importatur negatio quædam impossibilis , aut chymæra ad existendum ; seu negatio repugnantia , ut denominetur possibilis ; seu negatio duplicis contradictorii sequuta ad veram Angeli quidditatem.

His præjactis , quidquid sit de modo , & diversitate opinandi ; cum omnes supponamus , quidditates rerum , quæ dicuntur possibiles independenter ab omni esse , & dependentiâ ; videndum est , an Verbum divinum per se procedat ex cognitione rerum possibilium , quoquomodo ista propugnentur ?

LECTIO II

Verior sententia proponitur , & probatur.

A Criter Doctores ex utraque parte in hoc puncto decerrant. Scotus in secundo distinct. 1. quæst. 1. P. Valquez disputat. 143. cap. 3. & 6. & alii relati à P. Borrull disputat. 17. sect. 3. & Magist. Gonet disputat. 9. artic. 2. absolute negant , Verbum procedere ex cognitione creaturarum possibilium. Econtra verò affirmant eximius Doctor P. Suarez , Molina , Valentia , quos citat , & sequitur Arriaga ; præter alios cum nostros , tum Thomistas , quibus omnibus subscribit Borrull.

372. Sit ergo Conclusio nostra. Verbum divinum per se procedit ex cognitione possibilium. Ita Angelicus Doctor 1. parte , quæst. 34. artic. 3. sic docens : *Et sicut Dei scientia , Dei quidem est cognoscitiva tantum ; creaturarum autem cognoscitiva , & factiva : Ita Verbum Dei ejus , quod in Patre est , est expressivum tantum , creaturarum verò expressivum , & operativum.* At quia nomine creaturarum simpliciter intelliguntur ea , quæ actu existunt ; Verba Divi Thomæ sunt ita clara pro creaturis possibilibus , sicut & alia loca , quæ pro nobis adducuntur à Gonet , ut explicatione , vel interpretatione non egeant.

373. Clarius igitur ex Divo Thomâ 2. quæst. 2. de scientiâ Dei , artic. 8. in quæst. 2. corpo.

Utrique acriter decertantur.

Igitur Verbum divinum per se procedit ex cognitione possibilium.

de scientiâ
Dei, art.
8. in cor-
pore.

corpore, ibi: *Pater ergo, quod Deus potest cognitionem habere aliquorum non entium; & horum quidem quorundam habet quasi practicam cognitionem; scilicet quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt, quæ ex ejus scientia secundum ejus dispositionem procedunt: Quorundam vero, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt; quæ scilicet nunquam facere decrevit; habet quidem speculativam cognitionem. Tunc sic. Ea, quæ nunquam facere disposuit, sunt purè possibilis, quorum habet cognitionem speculativam. At Verbum procedit ex cognitione eorum omnium, quæ sunt in scientiâ. Ergo ex cognitione possibilem. Et ibidem ad primum ait: *Dicendum, quod illa, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, sunt aliquomodo existentia in potentia Dei, sicut in principio activo; vel in bonitate ejus, sicut in causâ finali. Cum ergo Deus cognoscat, & exprimat Verbo ea, quæ continentur in principio activo, aut essentia divinâ, sequitur idem, quod prius.**

Item quia
Verbum
procedit
ex cogni-
tione co-
prehensivâ
divinæ ef-
ficientiæ, &
omnipoten-
tiæ.

374. Probatur secundò Conclusio à ratione. Verbum divinum per se procedit ex cognitione comprehensivâ divinæ essentia, & omnipotentia, ac per consequens ex cognitione illorum, sine quibus divina omnipotentia comprehendi non potest. Sed omnipotentia comprehendi non potest, incognitis possibilibus. Ergo Major est certa, & patet ex Quæstione præcedenti. Minor probatur primò ex Divo Thomâ 3. parte, quæst. 10. artic. 2. ubi probat, animam Christi Domini in Verbo non cognoscere omnia, quæ continentur in illo; quia aliàs istud comprehenderet: Sentit ergo Divus Thomas, ex cognitione omnium effectuum in causâ, inferri comprehensionem causæ; ac proinde eam comprehendi non posse, non cognitis effectibus in illâ contentis. Probatur secundò illa minor. Tum quia non stat, causam comprehendi, nisi in eâ cognoscatur omne, quod in illâ, & ex illâ cognosci potest. Sed creaturæ sunt cognoscibiles in omnipotentia divinâ; cum in illâ contineantur perfectissimè. Ergo omnipotentia comprehendi non potest, non cognitis creaturis possibilibus. Tum quia virtus causæ non potest comprehendi, nisi cognoscantur, quæ in eâ continentur. Sed omnipotentia est virtus operativa Dei, in quâ continentur possibilis. Ergo.



Theol.

LECTIO III.

Solvuntur argumenta contraria.

375. **A**Rguitur primò ex P. Valquio. Si Verbum ex cognitione creaturarum possibilem procederet, sicut esset Verbum creaturarum, ita & illarum imago dici posset, præsertim cum in Persona Filii ratio Verbi, & imaginis nullatenus distinguantur. Sed Verbum divinum neque est, nec dici potest imago creaturarum. Ergo non procedit ex illarum cognitione. Nego sequelam. Ratio est. Quia licet Verbum in quantum est expressivum, & similitudo propria illius, à quo procedit; scilicet Patris, sit ipsius imago; non tamen prout est expressivum, & solum manifestativum eorum omnium, quæ cognoscit Pater. Unde ratio imaginis, & propria similitudo in Verbo solum habetur per processionem, & originem respectu illius, à quo procedit: Cum autem non procedat à creaturis, nec istæ se habeant ut principium Verbi; sed solum ut objectum cognitum; patet, quod licet respectu illarum possit dici Verbum, quia hoc est etiam manifestativum ipsarum; nullo tamen modo potest dici imago; sicut nec Filius illarum; & ideo dixi, secundam Personam esse Filium; quia Verbum non utcumque; sed in quantum Verbum principii se intelligentis, à quo procedit.

Ex scientiâ
nostrâ nõ
sequitur,
Verbu di-
vinu esse
imaginem
possibili-
um.

376. Instabis. Ab objecto, & potentia paritur notitia, ac proinde Verbum. Ergo Verbum divinum cum sit quædam quasi notitia, procedit non solum à scientiâ, & potentia Patris; sed etiam ab objecto. At respectu illius, à quo procedit, est imago. Ergo respectu creaturarum possibilem, licet istæ sint objectum, erit imago, si ex earum cognitione procedit. Respondeo distinguendo antecedens: In creatis, concedo: In divinis, nego antecedens. Ratio disparitatis est. Quia in creatis, ut producat Verbum, fecundatur potentia, seu intellectus possibile per speciem missam ab objecto, ut constat ex Animalicâ; & propterea dicitur, quod Verbum, seu notitia creata paritur ab objecto, & potentia; & similiter quod scientia creata est acquisita, & quod sumitur à rebus. At verò scientia divina nec sumitur ab objecto creabili, nec creato, neque ex creaturis derivatur aliquid, quo intellectus divinus sit fecundus ad productionem Verbi; sic autem nec

Solum in
creatis est
verum ab
objecto,
& poten-
tiâ pari
noticiam.

G g 2

per